Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1431
Quelle:
Copyright:

id est, partes, et in sexaginta Isvi, id est, distinctiones, et in centum quatuordecim Sorrapht (Suras) *id est, tractatus. Ad illustrissimum D. Fridericum Vrbini ducem S. R. H. E. Vexillиferum Guilielmi Ramundi* (Ramon, Raymundi) *de Moncata militis, artium Doctoris surathil Hagi Mahumethi traductio. Fridericus* hic e *Montefeltrinis* anno 1482. diem clausit. Hinc de Interpretis nostri aetate statues, cujus notitiam neque *Nic. Antonius* in sua *Bibl. Hist. Vet.* neque *Ludov. Marraccius* in *Refut. Alcorani* habuisse videtur. Ne vero integri hic *Corani* versionem expectes. *Surae* tantummodo duae sunt, *Vigesima Prima* et *Secunda*, (in edit. *Theod. Bibliandri* 31. et 32.) hoc initio: *In nomine Dei Clementis et Misericordis. Propinquum est hominibus iuditium eorum. Ipsi enim in ira ceciderunt* &c. Ad calcem legitur: *Finis huius quod ab Angelo Gabriele Mahumethi dictum credunt, id solum habent pro verissimo. Nam que sequuntur ab Hominibus, hoc est a Mahumete facta esse non negant.* Non tamen statim illa sequuntur, sed interjecta est *Interpretatio* quorundam Terminorum *Arabicorum*, quae incipit: *AL. articuli sunt, sicut in It. uulgari nostro Lo La et V. aliquando secundum rationem uocalium præcedentium sonat Il. aliquando Vl. cum ipsi Arabes non habeant nisi tres vocales. A. J. V.* &c. Tandem *fol.* 18. p. 2. succedit *Theologia Mahumethis Filij Abdale*, seu potius Disputatio quatuor Judaeorum cum eo, duce, ut hic vocatur: *Adrahe Bensalom*, rectius *Obadia Ben Schalom*, qui, postquam victas Prophetae manus dedisset, arabice dictus est *Abdalla Ibn Selem* aut *Salam.* Meminit ejus *J. Cph. Wolfius Bibl. Hebr.* T. I. p. 940. et *Herbelotius* in *Bibl. Orient.* p. 7. Habetur haec *Disputatio* ad calcem *Alcorani*, velut in editione supra memorata *Bibliandri Basil.* 1550. p. 189. f. Neque ad *Moncadam* pertinet, sed interpres est *Hermannus* quidam *Dalmata*, quem *Petrus* Abbas *Cluniacensis* dictus *Venerabilis* a. 1143. in *Hispania* inventum ad faciendam hanc μεταφρασιν multo pretio conduxit, ut ipse ait in *Epistola* ad *Bernardum Claraeuallensem*, quam *Bibliander suprac.* Translationi *Alcorani* praefixit. Initium est hujuscemodi: *Erat nuntius Dei, omnino deus* (Bibliander legit *Oradei*) *super eum et salus, sedens inter socios in Ciuitate sua Jesrab* &c. Finis: *cujus tu verus nuntius et propheta. Fol.* 43. Codicem absolvit: *Epithome Tocius Alchorani Legis Saracenorum*, a nescio quo concinnata, quae incipit: *Oratio Arabum. In Deo Iram et misericordiam ponunt.* &c. sistit vero in *Sura* CXII.: *qui nec genuit, nec est genitus, nec habet quenquam sibi similem.* Adjicitur brevis *Appendix* de *Mohammedanorum* Placitis religiosis.

CCCLXXVI.